ACTA

D. MARTINI LUTHERI

N COMITIIS PRINCIPUM WORMATIENSIBUS,

PHILIPPI MELANCHTHONIS

ALLOCUTIO DE OBITU LUTHERI

ET

ORATIO IN FUNERE EJUS

WITEBERGAE RECITATA,

UAE ILLUSTRISSIMI TEMPORIS DOCUMENTA

IN MEMORIAM ET VITAE ET MORTIS

INI SACRAE SCRIPTURAE INTERPRETIS

FIDEIQUE CHRISTIANAE RESTITUTORIS

POST TRECENTOS ANNOS

JUVENTUTI LITERARUM STUDIOSAE

DENUO OFFERUNTUR.

BEROLINI MDCCCXLVI.

VENDITIONE CURAE NAUCKII COMMISSA.

PRECATIO LUTHERI

QUOTIDIANA ET SOLITA.

CONFIRMA, DEUS, HOC IN NOBIS, QUOD OPERATUS ES, ET PERFICE OPUS TUUM, QUOD INCEPISTI IN NOBIS AD GLORIAM TUAM. AMEN.

ACTA REVERENDI PATRIS D. MARTINI LUTHERI CORAM CAESARE CAROLO V. PRINCIPIBUS, ELECTORIBUS, IMPERII ORDINIBUS IN COMITIIS PRINCIPUM WORMATIAE.

Anno salutis nostrae M D XXI, post dominicam Misericordia Domini feria tertia, D. Martinus Lutherus Wormatiam ingressus est, vocatus a Carolo imperatore, ejus nomine V., rege Hispaniarum, archiduce Austriae etc., qui primo imperii sui anno primum conventum principum in ea urbe regia celebravit. Cum autem ante triennium paradoxa quaedam disputanda proposuisset Witebergae in Saxonibus D. Martinus adversus tyrannidem Romani episcopi, (quae tamen interea a pontificiis varie lacerata, damnata et exusta fuerunt, a nullo tamen aut scripturis aut rationibus convicta); coepit res ad tumultum spectare, vulgo causam evangelii adversus clericos tuente. Et ob id bonum videbatur, instigantibus Romanis legatis, ut ipse Lutherus accerseretur, fetiali Caesareo et literis salvi conductus in hoc a Caesare et principibus datis. Accersitur, venit ac divertit in curiam Rhodiensium militum, seu quos vocant Teutonici ordinis, ubi hospitio collectus est et a multis comitibus, baronibus, equitibus auratis, nobilibus, sacrificis et profanis in multam usque noctem salutatus ac requisitus.

Ceterum multis et adversariae partis et aliis adventus ejus prorsus praeter opinionem acciderat. Nam etsi per nuncium imperialem et datis literis publicae fidei accersitus erat, tamen, quia paucis diebus antequam veniret publice et palam affixis literis ejus libri damnati erant, nemo existimabat, eum hoc praejudicio condemnatum adventurum esse. Et cum in vicino oppido Oppenheim, ubi primum haec rescivit Lutherus, ab amicis ejus deliberatio haberetur, ac plerique consule-

rent, ne se ipse exponeret periculo, cum videret haec principia contra datam fidem fieri; auditis omnibus, ipse magno animo respondit: *Mihi vero, quia vocatus sum, decretum et certum est ingredi in urbem, in nomine domini Jesu Christi, etiamsi scirem tot diabolos mihi oppositos, quot sunt tegulae in omnibus totius urbis tectis.*

Altero die post adventum ejus feria quarta vir nobilis, magister equitum imperii, Ulricus de Pappenheim, a Caesare missus, ante prandii tempus venit indicans Doctori Martino Caroli imperatoris mandatum, ut hora pomeridiana quarta apud Caesaream majestatem, principes electores, duces, et reliquos imperii ordines sese sistat auditurus, ad quid accersitus sit. Quod D. Martinus, ut debuit, accepit.

Ac statim post horam quartam auditam ejus diei, venit D. Ulricus de Pappenheim, et Casparus Sturm fetialis per Germanias Caesareus, (quo caduceatore e Witeberga erat excitus ac Wormatiam usque deductus D. Martinus,) qui ipsum evocatum comitabantur per hortum Curiae Rhodiensium, in diversorium Palatini comitis. Et ne quid a turba pateretur, quae in justo ad Caesaream domum itinere magna fuit, per gradus quosdam abditos in auditorium deductus est, non tamen latuit multos, qui ab ingressu vix vi probibebantur, plerique pergulas conscenderunt studio videndi Lutherum.

Cum igitur staret in conspectu Caesareae majestatis, principum electorum et ducum, omnium imperii ordinum, qui tum Caesari adfuere, D. Martinus primum admonitus est ab Ulrico de Pappenheim, ne quid loqueretur, nisi quaesitus.

Ibi Caesareae majestatis orator Joannes Eck, officialis generalis episcopi Treverensis alta et intelligibili voce primum latine deinde germanice jussu imperatoris dixit et proposuit eandem sententiam in hunc aut ei in effectu similem, qui sequitur, modum.

Martine Luthere, sacra et invicta Caesarea majestas de consilio omnium sacri Romani imperii ordinum ad solium majestatis suae huc vocari te jussit, ut his duabus de causis te interrogarem: Primum, fatearisne libros hos praesentes (fasce librorum ejus latine et germanice scri-

ptorum ostenso) *qui tuo nomine praetitulati circumferuntur, tuos esse illosque pro tuis agnoscas, nec ne? Deinde, an illos et eorundem contenta retractare et revocare, vel inhaerere iisdem potius et inseverare velis?*

Hic, priusquam Lutherus responderet, D. Hieronymus Schurff, qui Doctori Martino additus adstabat, exclamavit: *Intitulentur libri!* Hic officialis Treverensis ex libris D. Martini Lutheri eos, qui Basileae simul sunt excusi, nominatim recitavit, inter quos etiam numerabantur commentarii in psalterium, libellus de bonis operibus, commentarius in dominicam orationem, et praeter hos alii libelli Christiani, non contentiosi.

Post haec et ad haec D. Martinus ista reddidit latine et germanice: *A Caesarea Majestate duo mihi proponuntur: Primum, an libros omnes nomen meum habentes pro meis agnoscere velim? Secundum, an defendere, an vero quidquam reclamare velim ex iis, quae hactenus per me scripta et edita sunt? Ad quae respondebo breviter ut potero, et recte.*

Primum libros jam nominatos non possum non amplecti pro meis et eorum quidem nihil unquam negabo. Ceterum, quod sequitur, ut exponam, an defendere pariter omnia, vel revocare velim, quia de fide est quaestio et animarum salute et quia divinum verbum concernit, quo nihil majus est tam in coelo quam in terra, quod nos merito revereri convenit omnes, temerarium ac juxta periculosum fuerit, me quidquam incogitatum proferre, cum et minus quam pro re et majus quam pro vero non praemeditatus, asserere possim, quorum utrumque me in sententiam adducet, quam Christus tulit, cum ait: „Qui me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.“ Peto igitur hac de causa et quidem suppliciter a Caesarea majestate spatium deliberandi, ut citra divini verbi injuriam et animae meae periculum interrogationi satisfaciam.

Ex eo Principum coepit deliberatio, quam ita reddidit officialis Treverensis. *Etsi jam tu, Martine Luthere, ex mandato Caesareo satis intelligere potueris, ad quid ac-*

cersitus sis, et ea de causa jam indignus, cui longior cogitandi mora detur; tamen ex ingenti clementia Caesarea majestas diem unum indulget meditationi tuae, ut cras in horam eandem coram compareas, ea conditione, ne scriptam sententiam tuam proponas, sed verbis exsequaris.

Post haec D. Martinus per fetialem redditus est hospitio suo. In qua re non fuit praetereundum, quod inter eundum ad audiendum Caesaris mandatum, et cum jam esset in ipso principum consessu Lutherus, ab aliis alia voce, commonebatur, ut esset forti animo, ut viriliter ageret, ne timeret eos, qui corpus tantum possent occidere, animam non possent; sed potius metueret sibi ab eo, qui posset et corpus et animam mittere in gehennam. Item: „Cum steteritis ante reges, nolite cogitare quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora etc.“

Sequenti feria quinta post quartam pomeridianam venit fetialis et assumptum D. Martinum in curiam Caesaris perduxit, ubi propter Principum occupationes ad sextam usque mansit, expectans in magna hominum frequentia se ipsam conterente prae turba. Cumque consessus factus esset, et D. Martinus adstaret, prorupit officialis in haec verba:

Hesterno vesperi Caesarea majestas hanc horam tibi dixit, Martine Luthere, quandoquidem libros, quos heri recensuimus, tuos esse palam recepisti. Ceterum ad quaestionem, an quidquam eorum irritum haberi velles, aut omnia probares, quae confiteris, deliberationem petiisti, quae nunc finem habet. Etiamsi jure impetrare non debueras longius cogitandi spatium, qui tanto tempore scivisti, ad quid vocareris, et fidei negotium tam certum omnibus esse conveniebat, ut quisque quocunque tempore postulatus rationem ejus certam et constantem reddere possit, nedum tu tantus et tam excercitatus theologiae professor. Age tandem responde Caesareae postulationi, cujus benignitatem in impetrando cogitandi spatio sensisti. Visne libros tuos agnitos omnes tueri, an vero quidquam retractare? Haec latine et germanice dixit officialis.

Respondit D. Martinus, et ipse latine et germanice, quanquam suppliciter, non clamose, ac modeste, non tamen sine Christiana animositate et constantia, et ita, ut cupierint adver-

sarii orationem et animum abjectiorem Sed multo cupidissime expectarunt revocationem, cujus spem expetito deliberandi spatio nonnulli conceperant.

Sic autem respondit:

Serenissime domine imperator, illustrissimi principes, clementissimi domini! Adpraefixum mihi hesterno vesperi terminum obediens compareo, per misericordiam Dei obsecrans, serenissima majestas vestra dominationesque vestrae illustrissimae dignentur causam hanc (ut spero) justitiae et veritatis clementer audire atque, si per imperitiam meam vel dignos titulos cuiquam non dedero vel quocunque modo in mores gestusque aulicos peccavero, benigniter ignoscere ut homini non in aulis sed in angulis monachorum versato, qui nihil aliud de me testari possum, quam ea simplicitate animi hactenus me docuisse et scripsisse, ut tantum gloriam Dei et sinceram fidelium Christi institutionem spectarem.

Serenissime imperator, illustrissimi principes, clementissimi domini! Ad duos illos articulos heri per serenissimam majestatem vestram mihi propositos, scilicet an libellos recensitos, et nomine meo evulgatos agnoscerem meos et in his defendendis perseverare aut revocare velim, dedi paratum et planum meum responsum: super articulo priore, in quo adhuc persisto, persistamque in aeternum: esse videlicet eos libros meos, meoque nomine a me evulgatos, nisi forte interim acciderit, ut aemulorum vel astutia vel sapientia importuna quidquam in illis mutatum aut depravate excerptum sit. Nam aliud plane non agnosco, nisi quod mei solius est, et a me solo scriptum, citra omnis cujusvis industriae interpretationem.

Ad alterum vero responsurus rogo, serenissima majestas vestra et dominationes vestrae dignentur animum advertere, libros meos non esse omnes ejusdem generis. Sunt enim aliqui, in quibus pietatem fidei et morum adeo simpliciter et evangelice tractavi, ut ipsimet adversarii cogantur eos confiteri utiles, innoxios et plane dignos lectione Christiana. Scilicet bulla, quanquam saeva et crudelis, aliquot meos libros innoxios facit: licet et hos damnet,

judicio prorsus monstrifico. Si itaque hos revocare inciperem, obsecro, quid facerem, nisi quod unus ex omnibus mortalibus eam veritatem damnarem, quam amici et inimici pariter confitentur, solus omnium confessioni concordi reluctatus?

Alterum genus est, quod in papatum et doctrinam papistarum invehitur tanquam in eos, qui suis et doctrinis et exemplis pessimis orbem Christianum utroque malo et spiritus et corporis vastaverunt, Nam neque negare id neque dissimulare quisquam potest, cum experientia omnium et universorum quaerimonia testes sint, per leges papae et doctrinas hominum conscientias fidelium miserrime esse illaqueatas, vexatas et excarnificatas, tum res et substantias, praesertim in hac inclyta Germaniae natione, incredibili tyrannide devoratas devorarique adhuc sine fine indignisque modis: cum tamen suismet legibus ipsi caveant, ut papae leges et doctrinae evangelio aut patrum sententiis contrariae pro erroneis et reprobis habeantur.

Si igitur et hos revocavero, nihil aliud praestitero, quam ut tyrannidi robur adjecero et tantae impietati jam non fenestras sed valvas aperuero grassaturae latius et liberius quam hactenus unquam ausa fuerit, et fiet hujus meae revocationis testimonio licentiosissimum impunitissimumque nequitiae illorum regnum, misero vulgo longe intolerabilissimum, etiamnum roboratum et stabilitum: praesertim si jactatum fuerit, id a me factum auctoritate serenissimae majestatis vestrae, totiusque Romani imperii. Quantum ego, Deus bone, tum fuero operculum nequitiae et tyrannidis!

Tertium genus eorum est, quos in aliquos privatos et singulares (ut vocant) personas scripsi, in eos scilicet, qui tyrannidem Romanam tueri et pietatem a me doctam labefactare moliti sunt. In hos confiteor me fuisse acerbiorem, quam pro religione aut professione deceat, neque enim me sanctum aliquem facio neque de vita mea sed de doctrina Christi disputo.

Neque hos revocare mihi est integrum; quod ea revocatione iterum futurum sit, ut tyrannis et impietas meo patrocinio regnent et saeviant in populum Dei violentius, quam unquam regnaverint.

Tamen quia homo sum et non Deus, alio patrocinio meis libellis adesse non possum, quam ipse dominus meus Jesus Chistus affuit suae doctrinae, qui cum coram Hanna de sua doctrina fuisset interrogatus et alapam a ministro accepisset, dixit: „Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo." Si Dominus ipse, qui sciebat sese errare non posse, non detrectavit testimonium adversus suam doctrinam audire etiam a vilissimo servo, quanto magis ego faex non nisi errare potens debeo expetere et expectare, si quis testimonium reddere velit adversus meam doctrinam.

Itaque rogo per misericordiam Dei, serenissimi majestas vestra illustrissimaeque dominationes vestrae, aut quicunque tandem vel summus vel infimus possit, reddat testimonium, conuincat errores, superet scripturis propheticis et apostolicis! Paratissimus enim ero, si edoctus fuero, quemcunque errorem revocare, eroque primus, qui libellos meos in ignem projiciam.

Ex his arbitror liquidum fieri, me satis curasse et ponderasse discrimina et pericula seu studia et dissensiones meae doctrinae occasione in orbe excitata, de quibus heri graviter et fortiter admonitus fui. Mihi plane omnium jucundissima facies ista in rebus est, videre ob verbum Dei studia et dissensiones fieri. Is enim est verbi cursus, casus et eventus. Nam dicit: „Non veni pacem mittere sed gladium, veni enim separare hominem adversus patrem, etc."

Proinde cogitandum nobis est, quod Deus noster sit mirabilis et terribilis in consiliis suis, ne forte id, quod tantis studiis tentatur, si a damnato verbo Dei exordiamur, vergat postea potius in intolerabile malorum diluvium, et quod cavendum sit, ne adolescentis hujus optimi principis Caroli (in quo post Deum multa spes est) infelix et inauspicatum fiat imperium.

Possem locupletius exemplis scripturae de Pharaone, rege Babylonis, regibus Israel rem declarare, qui tum sese maxime perdiderunt, cum sapientissimis consiliis sua regna pacificare et stabilire studuerunt: Ipse est enim qui comprehendit astutos in astutia sua, et subvertit montes antequam cognoscant. Itaque timore Dei opus est.

Non haec dico, quod opus sit mea vel doctrina vel admonitione tantis verticibus, sed quod obsequium meae Germaniae debitum subtrahere non debuerim. Et his me serenissimae majestati vestrae dominationibusque vestris commendo humiliter rogans, ne patiantur studiis adversariorum me sibi sine causa reddi invisum. Dixi.

His dictis orator imperii increpabundo similis dixit, eum non ad rem respondisse nec deberi in quaestionem vocari, quae olim in conciliis essent damnata et definita, ideo ab eo peti simplex et non cornutum responsum, an velit revocare vel non?

Hic Lutherus: *Quando ergo serenissima majestas vestra, dominationesque vestrae simplex responsum petunt, dabo illud neque cornutum neque dentatum in hunc modum: Nisi convictus fuero testimoniis scripturarum, aut ratione evidente (nam neque papae neque conciliis solis credo, cum constet, ea errasse saepius et sibi ipsis contradixisse, victus sum scripturis a me adductis captaque est conscientia in verbis Dei); revocare neque possum neque volo quidquam, cum contra conscientiam agere neque tutum sit neque integrum.*

„Hie stehe ich, ich kann nicht anders, Gott helf mir, „Amen."

Orationem hanc a D. Martino habitam in consultationem deduxerunt principes. Examinatam convellere coepit officialis Treverensis hoc modo.

Immodestius tu, Martine, respondisti, quam tuam personam decebat, et adeo non ad propositum. Libros varie partiris, verum ita, ut ad interrogationem nihil faciant omnia. Quod si eos recantasses, in quibus errorum tuorum magna pars est, haud dubie Caesarea majestas et ingenita clementia reliquorum, qui boni sunt, persecutionem

non tolerarct. Atqui tu, quae universale Constantiense concilium damnavit ex universa Germanica natione congregatum, resuscitas et per scripturam vinci vis, in quo vehementer deliras. Quid enim attinet novam disputationem celebrare de rebus per tot secula ab ecclesia et concilio condemnatis? Nisi forte cuivis de quocunque ratio reddenda est. Quod si semel pervicerit, ut scripturis convincendus sit, quicunque conciliis et ecclesiae sensis contradicit; nihil habebimus in Christianitate certum vel determinatum.

Et haec causa est, ob quam Caesarea majestas a te petit responsum simplex ac planum aut negativum aut affirmativum. Num vis omnia tua pro catholicis tueri: an vero quidquam ex iis revocare?

Ibi rogavit D. Martinus, ne se contra conscientiam a sanctis scripturis captam et impeditam sine contradicentium manifestariis argumentis ad revocandum cogi pateretur Caesarea majestas: responsum, quod petitur, non cornutum, sed simplex et rectum neque se aliud habere, quam quod ante quoque dedisset: (nisi sufficientibus argumentis conscientiam ab illis, quos ipsi vocant, erroribus captam explicarent adversarii;) nec se posse ex retibus abire, quibus esset involutus. Non protinus vera esse, quaecunque concilia statuerunt, imo errasse concilia, et sibi ipsis saepe contraria definiisse, propterea non valere contradicentium argumentum. Se posse ostendere, quod concilia erraverint, revocare non posse, quod sedulo palam expressum sit in scriptura.

Ad quae nihil est responsum ab officiali, nisi paucissimis, videlicet, quod ostendi non possit, concilium errasse. D. Martinus vero: ostendere se posse, ac promisit.

Cum jam autem tenebrae totum auditorium haberent, propterea suam quisque domum abivere. Discedentem a Caesarea majestate et tribunali Hispanorum bona pars rhonchis et subsannatione hominem Dei Lutherum longo rugitu prosecuti sunt.

Feria sexta post Misericordia Domini, cum convenissent principes, electores, duces et reliqui ordines, qui consultationibus adesse solent, scriptum haec habens in senatum

misit Caesar: „Majores nostri et ipsi Christiani principes fue-„runt, nihilominus ecclesiae Romanae audientes, quam nunc „D. Martinus Lutherus impugnat. Et quia ne latum quidem „unguem ab erroribus discedere in animum induxit, non pos-„sumus nos cum decore a majorum exemplo desciscere in „antiqua fide tuenda et Romanae sedi auxilium ferendo. Ipsum „autem Martinum Lutherum et adhaerentes excommunicatione „prosequemur, et si quae aliae patent ad extinguendum viae. „Datam tamen et adscriptam fidem violare nolumus, imo daturi „operam, ut salvus eo redeat, unde est accitus.“

Hanc imperatoris Caroli sententiam versaverunt principes, electores, duces, imperii status feria sexta per totum tempus pomeridianum etiam sabbatum integrum, quod sequebatur. Itaque D. Martinus adhuc responsum a Caesarea majestate nullum receperat.

Interea temporis visus est et visitatus a multis principibus, comitibus, baronibus, equitibus, nobilibus, sacrificis, religiosis ac profanis, ne quid dicam de vulgi numero. Hi curiam nunquam non obsederunt, nec videndo satiari potuerunt. Etiam schedulae binae fuerunt affixae, una contra Doctorem Lutherum, altera, ut videbatur, pro Doctore: tametsi a multis adeoque intelligentibus dolose ab inimicis putatur factum id ipsum, ut occasio esset rescindendi dati salvi conductus, quem non impigre quaerebant Romani legati.

Feria secunda post Jubilate ante coenam archiepiscopus Treverensis renunciavit D. Martino, ut feria quarta sequenti coram ipso hora sexta ante prandium compareret loco iterum designando. Die S. Georgii sub coena rediit ad Lutherum is, qui erat a sacris archiepiscopi Treverensis, jussu principis sui petens, ut postridie hora nuper designata in diversorium domini sui adesset.

Feria quarta post Georgii natalem, dicto parens D. Martinus diversorium archipiscopi Treverensis ingreditur adductus per sacerdotem ejus et caduceatorem Caesareum, prosequentibus eum, qui huc venientem e Saxonibus et Thuringis comitati sunt, et aliquot aliis praeterea amicissimis: ubi coram archiepiscopo Treverensi, marchione Joachimo Brandenburgensi, duce Georgio Saxoniae, Augustensi et Branden-

burgensi episcopis, magistro Teutonicorum comite Georgio, Johanne Bock, Argentino, Werdheymero et Peutingero Doctoribus Doctor Vehus a sacris marchionis Badensis dicere coepit et protestatus est, non in hoc ipsum vocatum esse, ut tanquam in controversia vel disputatione cum ipso conferrent, sed solum ex Christiana caritate et clementia quadam principes a Caesarea majestate impetrasse, ut liceret iis clementer et fraterne exhortari eum.

Deinde ait, Concilia, tametsi diversa statuerint, non tamen statuisse contraria. Quod si vel maxime errassent, ob id tamen non corruere eorum auctoritatem, saltem adeo, ut quilibet suo sensu contra ea niti vellet. Inferens de centurione et Zacheo multa, etiam de constitutionibus humanis, caeremoniis statutis, ea omnia affirmans sancita ad reprimenda vitia pro qualitate et vicissitudine temporum, nec posse ecclesiam carere constitutionibus humanis: ex fructibus cognosi arborem: dici tamen ex legibus multa bona nata: quod Conciliis S. Martinus, S. Nicolaus, et multi alii Sancti interfuerint.

Deinde: quod ingentes motus et tumultus incredibiles excitaturi sint libri ejus: quod libello de libertate Christiana vulgus abutatur ad exuendum jugum, ad stabiliendam inobedientiam: longe nunc secus habere, quam cum credentium cor unum et anima fuisset una: legibus ergo opus esse.

Praeterea expendendum, cum bona multa scripsisset, et procul dubio bono spiritu, ut de triplici justicia, et alia; diabolum hoc jam per insidias occultas agere, ut omnia ejus opera in perpetuum damnentur. Nam ex his, quae ultimo scripserit, vere iudicaretur, quemadmodum arbor non ex flore, sed ex fructibus cognoscatur.

Ibi addidit de daemonio meridiano, et negotio perambulante in tenebris, et sagitta volante. Tota oratio fuit exhortatoria, locis rhetoricis honestatis, utilitatis legum et e regione periculorum conscientiae et salutis publicae et privatae plena. Tum in principio tum medio tum calce identidem inculcans, hanc admonitionem propensissima voluntate et clementia quadam singulari a principibus fieri. Claudens in epilogo minas addit dicens, futurum, ut, si in proposito per-

severaret, Caesar procedat eum ex imperio ejecturus: commonefaciens, ut haec et reliqua cogitaret et expenderet.

Respondit D. Martinus: *Clementissimi et illustrissimi principes et domini! De voluntate ista clementissima et benignissima, ex qua haec admonitio proficiscitur, ago gratias quam humillime possum. Agnosco enim, me homuncionem longe viliorem esse, quam ut a tantis principibus sim commonendus.*

Deinde libere pronunciat, se non omnia Concilia reprehendisse, sed tantum Constantiense, ob hoc potissimum, quod verbum Dei damnavit, quod patet in articulo hoc Johannis Huss ibi damnato: „Ecclesia Christi est universitas praedestinatorum.“ Hunc articulum damnasse concilium Constantiense, certum est, et sic consequenter hunc articulum fidei nostrae: „Credo Ecclesiam sanctam catholicam.“ Ajebat igitur, se non recusare et vitam et sanguinem impendere, modo eo non detrudatur, ut cogatur apertum Dei verbum revocare. Nam in hoc defendendo, oportere Deo magis quam hominibus obediri.

Neque se hic posse cavere scandalum fidei; scandalum enim duplex esse, charitatis et fidei: charitatis quod in moribus et vita consistit, fidei vero seu doctrinae, quod in verbo Dei consistit, et hoc vitare se jam non posse, in sua enim potestate non esse, ut Christus non sit petra scandali. Si oves Christi puro Evangelii pabulo pascerentur, fides Christi vere praedicaretur essentque boni ac pii magistratus ecclesiastici, qui fideliter officium suum facerent; non opus esse ecclesiam onerare humanis traditionibus etc. Se scire, obediendum esse magistratibus et potestatibus etiam male et inique viventibus. Scire se, cedendum esse proprio sensui, idque se in suis scriptis docuisse, seque obedientissime praestiturum haec omnia, modo non adigatur verbum Dei negare.

Secedente Doctore Martino, principes colloquuntur, quidnam respondendum sit homini? Revocatum igitur in triclinium, Doctor Badensis repetivit priora, commonefaciens, ut sua scripta iudicio Caesaris et imperii subiiceret.

Respondit D. Martinus suppliciter et modeste, se neque pati neque passurum, ut diceretur defugisse judicium Cae-

saris, procerum et ordinum imperii. Tantum enim abesse, ut eorum examen reformidet, ut vel minimis quoque accuratissime sua expendi permitteret, modo id fieret auctoritate verbi divini et sacrae scripturae. Verbum autem Dei tam apertum pro se esse, ut cedere nequeat, nisi verbo Dei meliora edoctus. Scribere enim S. Augustinum, se didicisse hunc honorem solis libris illis habere, qui Canonici vocantur, ut veros credat, ceteris vero doctoribus, quantalibet vel sanctitate vel doctrina polleant, ita demum credere, si vera scriberent: Ad haec S. Paulum ad Thessalos scripsisse: „Omnia probate, quod bonum est tenete." Et ad Galatas: „Etiamsi Angelus e coelo veniat, et aliud praedicet, anathema sit." Itaque, ei non credendum. Ideo et se suppliciter orare, ne conscientiam suam vinculis scripturae et verbi divini alligatam urgeant ad negandum tam clarum verbum Dei, utque se commendatum haberent et praecipue apud Caesaream majestatem efficerent, ne cogeretur contra conscientiam in hac causa quidquam agere, alioqui se nihil non vel obsequentissime facturum.

Haec dicentem interrogavit Marchio Brandenburgensis Joachimus elector, num dixisset se non cessurum, nisi convictum sacra scriptura. Respondit D. Martinus. *Etiam, domine clementissime, vel rationibus clarissimis et evidentibus.*

Ita soluto hoc conventu, principibus reliquis in curiam proficiscentibus, Treverensis archiepiscopus D. Martinum accivit in suum triclinium adhibito officiali suo Johanne Eckio et Cochleo. D. Martino Luthero adstabet D. Hieronymus Schurff, et Nicolaus Ambsdorffius. Ibi tum coepit officialis argumentari ut sophista et canonista papae causam defendens: Ex sacris literis fere semper natas fuisse haereses, ut Arianam ex hoc evangelii: Joseph non cognovit conjugem suam, donec pareret primogenitum suum. Deinde eo progressus, ut niteretur convellere hanc propositionem: Ecclesiam catholicam esse universitatem sanctorum; ausus etiam ex lolio facere triticum, et ex corporum excrementis membra. Haec et similia ridicula et futilia ab ipso in medium prolata D. Martinus, et D. Hieronymus Schurff perstrinxerunt, sobrie tamen, veluti ad rem ipsam nihil facientia, Nonnunquam instrepens et Johannes Cochleus conabatur D. Luthero persuadere, ut ab incepto

desisteret, et deinceps prorsus a scribendo et docendo abstineret. Tandem digressi sunt.

Sub vesperi ejusdem diei, Treverensis archiepiscopus nunciavit D. Martino interprete Ambsdorffio fidem publicam a Caesare in biduum pertractam, ut interim cum eo agere posset, in hoc igitur postridie doctorem Peutingerum et doctorem Badensem ad eum venturos, imo et seipsum cum eo acturum.

Feria igitur quinta ipsa die Marci ante meridiem Peutingerus et Badensis conati sunt persuadere D. Martino, ut simpliciter et absolute Caesari et Imperio permitteret judicium de scriptis suis.

Respondit, se omnia et facturum et passurum, si modo scripturae sanctae niterentur auctoritate: alioqui enim nihil minus commissurum, nam Deum per prophetam dixisse: „Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.“ Item, „Maledictus, qui confidit in homine.“ Vehementius urgentibus respondit, nihil minus permittendum hominum judicio quam verbum Dei. Ita abierunt rogantes, ut deliberaret meliora responsurus, a prandio se redituros.

Post prandium reversi idem, quod ante meridiem, frustra conati sunt. Oraverunt, ut saltem concilii futuri judicio sua submitteret. Hoc promisit Lutherus, sed hac conditione, ut decerptos ex libris suis articulos ipsi exhiberent concilio subiiciendos, ita tamen, ut sententiam de illis ferrent ex scripturis et testimoniis ejusdem contrarium probarent.

Illi itaque a D. Martino digressi archiepiscopo Treverensi dicunt, Martinum pollicitum esse, se sua permissurum concilio in articulis nonnullis interimque taciturum de iisdem. Quod D. Martinus ne cogitarat quidem, ut qui neque monitis nec comminationibus ullis induci unquam potuerit, ut vel negare vel hominum judicio submittere vellet libellos suos, quos claris et apertis scripturae testimoniis muniisset, nisi convinceretur ex sacris literis et evidentibus rationibus, se errasse.

Accidit ergo singulari Dei munere, ut Treverensis archiepiscopus D. Martinum evocaret, eum coram auditurus. Ubi cum diversum intellexisset quam Peutingerus et Badensis dixissent, affirmavit, non magnum redempturum, nisi audi-

visset cum: alioqui enim se statim Caesarem aditurum fuisse, dicturumque, quae retulissent Doctores.

Egit vero Treverensis archiepiscopus clementissime cum D. Martino: primo remotis omnibus arbitris cum de Caesaris et imperii tum de Concilii judicio. In quo colloquio D. Martinus nihil celavit Treverensem affirmans, parum tutum fore, tantam rem illis permittere, qui sub fide publica evocatum novis mandatis aggressi damnassent suam sententiam et bullam papae approbassent.

Deinde admisso etiam amico petivit Treverensis archiepiscopus a D. Martino remedia, quibus huic causae occurri possit. Respondit Lutherus, meliora non esse remedia, quam de quibus Gamaliel Act. 5. dixisset, teste S. Luca. „Si ex hominibus consilium aut opus hoc est, dissolvetur; si vero ex Deo est, dissolvere non poteritis.“ Hoc posse Caesarem et imperii ordines scribere ad Pontificem Romanum, se certo scire, si hoc suum propositum ex Deo non sit, intra triennium imo biennium sponte sua periturum.

Dicenti Treverensi, quid esset facturus, si decerperentur articuli concilio submittendi? respondit Lutherus: „Modo non sint hi, quos concilium Constantiense damnaverit“. Ait Treverensis, se vero timere, eos ipsos futuros. „Atqui“, inquit Lutherus, „de ejusmodi tacere neque possum neque volo, ut qui certus sum, iis decretis verbum Dei damnatum. Ideo vitam et caput potius amissurus sum, quam tam clarum verbum domini deserturus.“

Treverensis videns D. Martinum Dei verbum judicio hominum nequaquam submissurum clementer eum dimisit rogantique ut curaret sibi commeatum clementem a Caesarea majestate respondit: se rem probe curaturum et renunciaturum.

Neque ita multo post officialis Treverensis praesenti cancellario quondam Maximiliani, a Secretis Caesaris, D. Martino in diversorio suo mandata Caesaris dixit: Quia tam multipliciter a Caesarea majestate electoribus, principibus et ordinibus imperii frustra commonefactus, ad cor et unitatem noluerit redire, reliquum esse, ut Caesar (ut advocatus fidei catholicae) procedat. Ergo mandatum Caesaris esse, ut intra

viginti unum dies hinc ad securitatem redeat sub conductu publico et libero ipsi servando, neque vel praedicando vel scribendo in intinere populum commoveat.

Quo audito, D. Martinus modestissime respondit: „Sicuti Domino placuit, ita factum est, sit nomen domini benedictum!" Deinde addebat, se supplicem, primum omnium, serenissimae Caesareae majestati principibus et reliquis imperii ordinibus gratias agere quam posset maximas pro tam benigna et clementi audientia proque conductu libero et servato et servando, neque enim se quidquam desiderasse in iis nisi reformationem per scripturam sanctam a se tantopere flagitatam. Alioqui pro Caesarea majestate et imperio passurum omnia, vitam et mortem, famam et infamiam, nihilque sibi prorsus reservaturum nisi unicum verbum domini liberum ad confitendum et testificandum illud. Postremo, Caesareae majestati et toti imperio se humillime tum commendans tum subiiciens.

Postridie igitur, hoc est, feria sexta post Jubilate, die Aprilis vicesima sexta, salutatis patronis et amicis, qui eum frequentissime convenerant, sumpto jentaculo hinc abiit ad horam ante meridiem decimam comitatus et ab iis, qui huc venientem prosecuti sunt, quem Caspar Sturm caduceator post aliquot horas secutus Oppenheim invenit prosecuturus vocali mandato Caesaris Caroli.

PHILIPPUS MELANTHON AD AUDITORIUM SCHOLAE WITTEBERGENSIS, AN. MDXLVI. DE OBITU LUTHERI.

(E NARRATIONE JOANNIS POLLICARII CYGNAEI.)

Haec sequentia Dr. Philippus Melanthon hora nona ante prandium, cum convenissemus ad auscultationem epistolae Pauli ad Romanos, publice recitavit commemorans, se hoc ex consilio aliorum dominorum facere eam ob causam, ut nos admoniti de rei veritate (quia scirent multas fabellas hinc

inde de morte Lutheri vagaturas esse) figmenta illa sparsa non amplecteremur.

Optimi Adolescentes! scitis nos suscepisse enarrare grammaticam explicationem Epistolae ad Romanos, in qua continetur vera doctrina de filio Dei, quam Deus singulari beneficio hoc tempore nobis per reverendum patrem et praeceptorem nostrum amantissimum, D. Martinum Lutherum patefecit.

Verum hodierno die, tam tristia huc sunt scripta, quae ita auxerunt dolorem meum, ut nesciam, an possim posthac in hisce scholasticalibus pergere. Haec autem consilio aliorum dominorum ideo volo vobis commemorare, ut sciatis, quo modo res vere se habeat, ne vel ipsi falsa de hoc casu spargatis, neve aliis fabellis hinc inde (ut solet fieri) sparsis fidem habeatis.

Die Mercurii, qui fuit 17. Februarii, dominus Doctor paulo ante coenam coepit laborare morbo usitato, nempe oppressione humorum in orificio ventriculi (quo memini hic quoque eum aliquoties laborare). Hic morbus post coenam recurrit, quo cum conflictaretur, petivit secessum in cubiculum proximum atque ibi duas prope horas decubuit donec dolores crescerent. Et cum D. Jonas in eodem cubiculo una dormiret, dominus D. Martinus eum vocavit et excitavit jussitque ut surgeret et curaret, ut paedagogus liberorum Ambrosius calefaceret conclave, in quod cum ingressus esset, mox eo venit illustris Comes Albertus de Mansfeld una cum coniuge et multi alii, quorum nomina hisce literis propter festinationem non sunt expressa. Tandem, ubi finem vitae adesse sensit, ante horam quartam sequentis 18. Februarii commendavit sese Deo hac precatione.

„Mein himmlischer Vater, ewiger barmherziger Gott!
„Du hast mir deinen lieben Sohn, unsern Herrn Jesum
„Christum offenbaret, den hab' ich gelehret, den hab'
„ich bekannt, den liebe ich, und den ehre ich für meinen lieben Heiland und Erlöser, welchen die Gottlosen verfolgen, schänden und schelten. Nimm meine
„Seele zu dir!"

Indem redet er in die drei Mal:

„In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Deus veritatis“

„Also hat Gott die Welt geliebet etc.“

His precibus aliquoties ingeminatis, a Deo in aeternam scholam et in aeterna gaudia evocatus est, in qua fruitur consuetudine patris, filii, spiritus sancti, omnium prophetarum et apostolorum.

Ah! obiit auriga et currus Israel, qui rexit Ecclesiam in hac ultima senecta mundi. Neque enim humana sagacitate deprehensa est doctrina de remissione peccatorum et de fiducia filii Dei, sed a Deo per hunc virum patefacta, quem etiam a Deo excitatum vidimus fuisse.

Amemus igitur hujus viri momoriam et genus doctrinae ab ipso traditum et simus modestiores et consideremus ingentes calamitates et mutationes magnas, quae hunc casum sunt secuturae.

Te, fili Dei, crucifixe pro nobis et resuscitate Emmanuel, oro, ut ecclesiam tuam regas, serves et defendas, Amen.

ORATIO IN FUNERE REVERENDI VIRI D. MARTINI LUTHERI, RECITATA WITTEBERGAE A PHILIPPO MELANTHONE.

Etsi in hoc publico luctu mea vox dolore et lacrimis impeditur: tamen in tanta frequentia aliquid dicendum fuit, non ut ab ethnicis fiebat, tantum de mortui laudibus, sed potius ad commonefaciendum coetum de miranda gubernatione et periculis ecclesiae, ut qua de re angi, quas res praecipue expetere, ad quae exempla dirigere vitam debeant, cogitemus. Etsi enim homines profani in tanta confusione vitae temere omnia et casu ferri arbitrantur; tamen nos multis perspicuis Dei testimoniis confirmati sejungamus ecclesiam a profana multitudine et statuamus vere eam regi et seruari divinitus; et ejus politiam recte aspiciamus, agnoscamus veros gubernatores et eorum curriculum consideremus et eligamus du-

ces et doctores idoneos, quos quidem et pie sequamur et veneremur. De his tantis rebus et cogitari et dici necesse erit, quoties reverendi viri D. Martini Lutheri carissimi patris et praeceptoris nostri mentio fiet, quem etiamsi multi profani homines acerbissime oderunt: tamen nos, qui scimus fuisse ministrum Evangelii divinitus excitatum amemus, ac probemus et testimonia colligamus, quae ostendunt, ejus doctrinam non esse seditiosas opiniones sparsas coeco impetu, ut homines Epicurei judicant, sed demonstrationem voluntatis et veri cultus Dei et explicationem sacrarum literarum et praeconium verbi Dei, id est, evangelii Jesu Christi.

Esti igitur in his orationibus, quae tali loco habentur, multa de ornamentis privatis eorum, qui laudantur, dici solent, tamen ego ea parte orationis relicta tantum de hoc praecipuo loco dicam, videlicet, de munere ecclesiastico. Ita enim bonae mentes semper statuent: si doctrinam in ecclesia salutarem et necessariam illustravit; Deo gratias agendas esse, quod eum excitaverit, et ipsius labores, fidem, constantiam et ceteras virtutes laudandas esse ac memoriam ejus bonis omnibus carissimam esse.

Sit igitur hoc orationis nostrae initium. Sedet, ut Paulus inquit, filius Dei ad dextram aeterni patris et largitur bona hominibus, id est, vocem evangelii et spiritum sanctum, quae ut impertiat, excitat prophetas, apostolos, doctores, et pastores, et hos sumit ex hoc nostro, id est, discentium coetu, qui legunt, audiunt, amant scripta prophetica et apostolica. Nec tantum illos vocat ad hanc militiam, qui tenent ordinariam potestatem, sed saepe illis ipsis bellum infert per doctores ex aliis ordinibus delectos. Estque jucundum et utile spectaculum intueri ecclesiam omnium aetatum et considerare bonitatem Dei, qui subinde salutares doctores ita continuato ordine misit, ut tanquam in acie prioribus decedentibus mox alii in horum vestigia insisterent.

Nota series est primorum patrum, Adae, Seth, Enoch, Methusalem, Noe, Sem. Hoc vivo et in vicinia Sodomorum habitante, cum iam oblitae gentes doctrinae Noe et Sem passim idola colerent, excitatus est Abraham, ut esset collega Sem et socius hujus summi operis propagandae verae doctrinae.

Huic successerunt Isaac, Jacob, Joseph, qui in universa Aegypto, quae tunc fuit florentissimum regnum toto orbe terrarum, doctrinae lucem accendit. Deinde Moses, Josue, Samuel, David, Elias, Eliseus, quem audivit Jesaias, Jesaiam Jeremias, hunc Daniel, Danielem Zacharias. Deinde Esdras, Onias, post hunc Maccabaei, deinde Simeon, Zacharias, baptista, Christus, apostoli. Hanc continuam seriem juvat aspicere, quae est illustre testimonium praesentiae Dei in ecclesia.

Ac post apostolos sequitur agmen, quod, etsi fuit imbecillius, tamen Dei testimoniis ornatum est: Polycarpus, Irenaeus, Gregorius Neocaesariensis, Basilius, Augustinus, Prosper, Maximus, Hugo, Bernardus, Taulerus, et alibi alii. Etsi enim haec postrema senecta squalidior est: tamen Deus semper aliquas reliquias servavit et lucem evangelii splendidiorem accensam esse voce Lutheri manifestum est.

Annumerandus est igitur illi pulcherrimo agmini summorum virorum, quos Deus ad colligendam et instaurandam ecclesiam misit, quos quidem praecipuum florem esse generis humani intelligamus.

Fuerint sane magni viri Solon, Themistocles, Scipio, Augustus et similes, qui magna imperia vel constituerunt vel rexerunt: tamen longe inferiores sunt his nostris ducibus Jesaia, baptista, Paulo, Augustino, Luthero.

Haec vera discrimina intelligere nos in Ecclesia decet.

Quae igitur res magnae et verae a Luthero patefactae sunt, quae ostendunt ejus curriculum laudandum esse? Clamant enim multi, turbatam ecclesiam et controversias inextricabiles sparsas esse. His respondeo, talem esse gubernationem ecclesiae. Cum Spiritus sanctus arguit mundum, dissidia propter impiorum pertinaciam oriuntur et culpa est eorum qui audire filium Dei nolunt, de quo coelestis pater inquit: „Hunc audite!“ Lutherus veram et necessariam doctrinam patefecit: fuisse enim tenebras in doctrina de poenitentia densissimas manifestum est. His discussis ostendit, quae sit vera poenitentia et quis sit portus, quae firma consolatio mentis, quae expavit sensu irae Dei. Illustravit Pauli doctrinam quae ait, fide justificari hominem. Ostendit discrimen Legis et evangelii, justitiae spiritus et politicae. Ostendit et veram

invocationem Dei ac totam ecclesiam ab ethnico furore revocavit, qui fingit Deum invocari, etiamsi mentes academica dubitatione oppressae fugiant Deum. Jussit fide et bona conscientia fieri invocationem et quidem ad unum mediatorem, filium Dei sedentem ad dextram aeterni patris et interpellantem pro nobis, deduxit nos, non ad statuas aut homines mortuos, ut horribili furore homines impii statuas et homines mortuos invocant.

Monstravit et alia vera officia Deo grata, et vitam civilem ita ornavit et munivit, ut nullius unquam literis ita ornata et munita sit. Denique sejunxit a necessariis operibus puerilem paedagogiam humanarum caeremoniarum et ritus ac leges impedientes veram invocationem Dei. Et ut illustrata doctrina coelestis propagaretur ad posteritatem, vertit in linguam germanicam prophetica et apostolica scripta tanta perspicuitate, ut haec ipsa versio plus lucis adferat lectori quam plerique commentarii.

Adjunxit et ipse multas ennarrationes, quas longe antecellere omnium ennarrationibus, quae extant, Erasmus etiam affirmare solebat, et, ut scribitur de instaurantibus Hierosolymam, altera manu eos aedificasse, altera gladium tenuisse, ita ipse et proeliabatur cum hostibus verae doctrinae, et simul enarrationes plenas doctrinae coelestis condebat et multorum conscientiis opem tulit piis consiliis.

Cumque magna pars doctrinae supra humanum conspectum posita sit, ut doctrina de remissione peccatorum et fide, necesse est fateri, a Deo eruditum esse, ac multi ex nobis viderunt ejus luctas, in quibus didicit, fide statuendum esse, nos et recipi et exaudiri a Deo.

Semper igitur in omni aeternitate bonae mentes beneficia, quae Deus ecclesiae per Lutherum dedit, celebrabunt et primum Deo gratias agent, deinde et ipsius viri laboribus multum debere se praedicabunt, etiamsi homines athei, qui totam ecclesiam rident, haec κατορθώματα judicant esse inanem ludum aut furorem.

Nec inextricabiles disputationes motae sunt, nec contentionis pomum, ut aliqui salse dicunt, ecclesiae objectum est, nec proposita σφίγγος aenigmata. Nam sanis et piis et non ca-

lumniose judicantibus, facile est collatis sententiis videre, quae congruant cum coelesti doctrina, quae non congruant. Imo in omnium piorum mentibus has controversias jam dijudicatas esse non dubium est; quia cum Deus conspici se et voluntatem suam in sermone prophetico et apostolico velit, in quo se patefecit, non existimandum est, sermonem illum ambiguam esse ut folia Sibillae:

Quae turbata volant rapidis ludibria ventis.

Sed aliqui non mali tamen quaesti sunt, asperiorem fuisse Lutherum quam debuerit. Nihil disputo in alterutram partem, sed respondeo id, quod Erasmus saepe dixit: „Deus dedit huic postremae aetati propter morborum magnitudinem acrem medicum". Cumque tale organum adversus hostes veritatis superbos et impudentes excitarit, ut ad Jeremiam inquit: „Ecce dedi verba mea in ore tuo, ut destruas et aedifices!" et voluerit iis tanquam hanc Gorgonem obiicere; frustra expostulant illi cum Deo. Nec regit Deus ecclesiam humanis consiliis nec vult organa sua prorsus similia esse. Illud autem commune est, ut mediocria et moderata ingenia impetus ardentiores seu bonas seu malos minus probent. Vidit Aristides Themistoclem ingenti motu animi res magnas suscipere et feliciter gerere: etsi autem felicitatem gratulabatur reipublicae, tamen incitatum illius animum ex eo cursu revocare studebat.

Nec ego hoc nego, peccare interdum vehementiores impetus, nemo enim in hac naturae infirmitate prorsus sine labe est. Interim tamen, si quis talis est, ut veteres de Hercule, Cimone, et aliis dixerunt, *ἄκομψος μὲν ἀλλὰ, τὰ μέγιστα ἀγαθὸς*; vir bonus et laude dignus est. Ac in ecclesia si, ut Paulus inquit, recte militat retinens fidem et bonam conscientiam, Deo placet, et a nobis venerandus est.

Talem fuisse Lutherum scimus. Nam et constanter doctrinae puritatem defendit et conscientiae integritatem retinuit. Jam quis est, cui quidem notus ille fuit, qui nesciat, quanta humanitate praeditus, quanta hujus in congressibus familiaribus suavitas, quam minime hic contentiosus aut rixator fuerit? Et adiunctam tamen omnia gravitatem habuerunt eam, quae in tali viro esse deberet, nam in hoc

ἀψευδὲς ἦθος εὐπροσήγορον στόμα.

Vel potius erant secundum Paulum omnia ὅσα ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, ὅσα δίκαια, ὅσα ἄγνα, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα, ut illam asperitatem ζήλου veritatis, non ἐριθείας aut acerbitatis fuisse manifestum sit. Atque horum nos omnes et externi plurimi testes sunt. De reliqua autem vita, quam ad annum LXIII produxit in maximo et acerrimo studio pietatis et omnium bonarum rerum atque artium, si laudationem viri instituissem: quam illustrem et speciosam orationem habere possem? Nullae vagae libidines unquam in eo animadversae sunt, nulla seditiosa consilia, imo auctor potius aliquoties fuit abiiciendorum armorum, non miscuit causis ecclesiasticis artificia augendae potentiae vel suae vel suorum. Hanc et sapientiam et virtutem esse judico tantam, ut sola humana diligentia accersi posse non videatur, sed divinitus etiam frenari animos oportet praesertim acres, excelsos, ardentes, qualem omnino Lutheri fuisse res ostendit.

Quid dicam de ceteris ejus virtutibus? Saepe ipse interveni, cum lacrimans precationes suas pro tota ecclesia dixit. Sumebat enim sibi fere quotidie certum tempus ad psalmos aliquos recitandos, quibus sua vota gemens et lacrimans miscebat, ac saepe dixit se succensere istis, qui aut propter ignaviam, aut propter occupationes dicunt satis esse solo gemitu precari. „Ideo formae nobis divino consilio praescriptae sunt“, inquit, „ut lectio mentes accendat, imo ut vox etiam profiteatur, quem Deum invocemus“.

Itaque cum multae graves deliberationes de periculis publicis saepe inciderint, animadvertimus eum ingenti animi robore praeditum fuisse, minimeque ψοφοδεῆ, nec ullis unquam fractum terroribus. Nitebatur enim sacra, ut dicitur, ancora, id est, auxilio Dei, nec fidem excuti sibi patiebatur.

Ceterum et acie mentis tantum valebat, ut unus in obscuris rebus maxime videret, quid conduceret. Nec erat, ut multi putant, negligens in consideranda republica aut inspiciendis aliorum voluntatibus: sed et rempublicam norat, et omnium cum quibus vivebat sensus ac voluntates sagacissime perspiciebat. Et quanquam ingenii vis acerrima erat, tamen avidissime legebat scripta ecclesiastica, vetera et recentia,

et omnes historias, quarum exempla singulari dexteritate ad praesentia negotia transferebat.

Eloquentiae vero ipsius perpetua monumenta extant, qua par fuit, haud dubie iis, in quibus vis oratoria summa fuisse existimatur.

Talem virum summa vi ingenii praeditum, instructum doctrina, longo usu exercitatum, multis excellentibus et heroicis virtutibus ornatum ac a Deo ad ecclesiae instaurationem delectum denique complexum nos omnes paterno animo ex hac nostra consuetudine evocatum esse nostra causa merito dolemus. Sumus enim simillimi orphanis praestanti et fideli patre orbati. Sed quia Deo obtemperare necesse est, memoriam tamen virtutum et beneficiorum ipsius apud nos interire non sinamus. Ac ipsi quidem gratulemur jam familiarem et dulcissimam cum Deo et filio ejus domino nostro Jesu Christo, prophetis et apostolis consuetudinem, quam fiducia filii Dei semper et petivit et expectavit, ubi non modo judicio Dei et testimoniis universae coelestis ecclesiae probari suos labores, quos in propagatione evangelii sustinuit, audit, sed etiam ipse jam eductus ex mortali corpore tanquam ex carcere, et ingressus in scholam multo eruditiorem, Dei essentiam et in filio duas naturas conjunctas et totum consilium conditae et redemptae ecclesiae prope contemplatur, quas res maximas involutas et brevibus oraculis propositas cum fide hic consideravit, nunc coram videns laetitia summa afficitur et Deo jam ardens tota mente gratias agit pro tanto beneficio.

Hic discit cur filius dei λόγος καὶ εἰκὼν aeterni Patris dicatur, et quomodo vinculum sit spiritus sanctus amoris mutui, non solum inter aeternum patrem et filium, sed etiam inter ipsos et ecclesiam. Initia hujus doctrinae et rudimenta in hac mortali vita didicerat et saepe de his summis rebus, de discernenda invocatione vera et falsa, de vera agnitione Dei intuente patefactiones divinas, et discernente verum Deum a commentitiis numinibus gravissime sapientissimeque disserebat.

Multi in hoc coetu audierunt eum aliquando enarrantem hoc dictum: „Videbitis coelum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes super filium hominis.“ Ubi primum

auditores hanc amplissimam consolationem infigere animis jubebat, quae adfirmat, coelum apertum esse, id est, nobis ad Deum patefactum esse, irae divinae repagula confugientibus ad filium amota esse, Deum prope jam nobiscum versari et invocantes ipsum ab eo recipi, regi et servari.

Hoc decretum Dei, quod homines athei fabulosum esse vociferantur, monebat opponendum esse humanae dubitationi et pavoribus qui deterrent fugientes animos, quo minus invocare Deum ausint, nec acquiescant in Deo.

Deinde angelos ascendentes et descendentes in Christi corpore ministros evangelii esse dicebat, qui primum duce Christo ascendunt ad Deum, et ab eo evangelii lucem et spiritum sanctum accipiunt, postea vero descendunt, id est, ministerio docendi inter homines funguntur.

Addebat autem hanc interpretationem: etiam illos ipsos spiritus coelestes, quos usitate vocamus angelos, intuentes in filium erudiri et laetari hac miranda copulatione duarum naturarum, et cum hujus domini milites sint in defensione ecclesiae, quasi manu ejus gubernari eos.

Harum optimarum rerum nunc spectator est, et ut antea inter evangelii ministros ascendebat et descendebat ducente Christo, ita nunc angelos cernit mitti ab eo, et sapientiae divinae, et operum divinorum consideratione una cum iis fruitur.

Meminimus quanta cum voluptate prophetarum politiam, consilia, pericula, liberationes recitabat, et quam erudite omnia Ecclesiae tempora conferebat, ut flagrare se illorum summorum virorum desiderio non vulgari significaret.

Hos nunc complectitur et gaudet vivas audire et reddere voces. Hi hunc suum *συμφοιτητὴν* laeti salutant, et una gratias Deo agunt colligenti et seruanti ecclesiam.

Ipsum igitur Lutherum beatum esse non dubitemus. Nostra vero orbitate angamur, et quoniam Dei voluntati postquam eum hinc evocavit, nos quoque obtemperare necesse est, sciamus hoc quoque velle Deum, ut memoriam virtutum ipsius et beneficiorum retineamus. Id jam officium praestemus. Agnoscamus eum fuisse organum Dei salutare et ejus doctrinam studiose discamus. Virtutes etiam nobis necessa-

rias pro nostra mediocritate imitemur, timorem Dei, fidem et ardorem in invocatione, integritatem in ministerio, castitatem, diligentiam vitandi seditiosa consilia, cupiditatem discendi. Utque de ceteris piis gubernatoribus ecclesiae, quorum extant historiae, saepe multumque cogitandum est, de Jeremia, de baptista, de Paulo; ita saepe hujus viri doctrinam et cursum consideremus, et gratiarum actionem et precationem adjungamus, quod nunc quoque in hac frequentia fieri decet. Mecum igitur vera pietate animorum dicite:

Gratias agimus tibi, omnipotens Deus, aeterne pater domini nostri Jesu Christi, conditor ecclesiae tuae una cum filio coaeterno, domino nostro Jesu Christo, et spiritu sancto, sapiens, bone, misericors, judex verax, fortis et liberrime, quod colligis filio tuo haereditatem ex genere humano, et servas evangelii ministerium, et nunc quoque per Lutherum instaurasti, ac ardentibus votis precamur, ut deinceps ecclesiam et serves et regas et obsignes in nobis veram doctrinam, sicut Jesaias de suis discipulis precatur, et nostras mentes spiritu sancto tuo accendas, ut te recte invocemus, et mores nostros pie regamus.

Deinde, quia magnorum gubernatorum interitus saepe denunciant posteritati poenas, vos obtestamur ego et omnes, quibus docendi munus commendatum est, ut de periculis orbis terrarum cogitetis. Alibi Turci grassantur, alibi minantur bella domestica alii hostes; passim etiam magna est ingeniorum petulantia, quae praesertim postquam Lutheri censuram vereri desinent, majori audacia doctrinam recte traditam corrumpent.

Haec mala ut Deus avertat, diligentiores simus in regendis moribus et studiis, semperque infixam hanc sententiam animis teneamus, tantisper, donec puram evangelii doctrinam retinebimus, audiemus, discemus, amabimus, fore nos Dei domicilium et ecclesiam, sicut inquit filius Dei: „Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus“. Hac nos amplissima promissione ad discendam doctrinam coelestem accendamus, et sciamus, propter ecclesiam servari genus hu-

manum et politias, et illam aeternitatem futuram mentibus intueamur, ad quam nos Deus vocavit, qui quidem nec frustra se tam illustribus testimoniis patefecit nec frustra filium misit, sed vere diligit et curat haec beneficia magnifacientes. Dixi.

MART. LUTHERO EVANGELII JESU CHRISTI DOCTORI VERITATIS AMATORI MAXIMO ET MENDACIORUM AC SUPERSTITIONIS HOSTI RELIGIONIS ET PIETATIS IN GERMANIA AUCTORI ADMIRATOR IN HOC OPERIS DEI F.

Lutheri jacet hoc corpus mortale sepulcro,
Depositum in patrio nuper inane solo;
Cum pius ad superam properaret spiritus arcem
Taedia post vitae multa laboriferae.
Hunc urbs quae viventem habuit coluitque magistrum,
Pulvere ab externo noluit ossa tegi.
Nunc igitur quod in hac hujus populabile terra,
Et qua vita viri parte caduca fuit,
Id tandem optato confectum fine tenetur,
Et suus inferiis est resolutus honor.
Sancta sed in coelo non interitura manet mens
Aeterna domini pace beata sui,
Quem pura venerata fide constanter amavit,
Christe Deus, verbi sedula praeco tui.
Nullius huic contra scripturae oracula sacrae
Magna fuit virtus ingeniumque nimis.
Nullorum vires huic incussere timorem,
Quo fidei assereret dogmata vera minus.
Atque hunc mors placida et felix similisque sopori
Extremum vitae jussit obire diem
Inter amicorumque manus lacrimasque piorum
Et, quas ipse suo fudit ab ore preces,

Te quibus aeternumque patrem natumque vocavit
  Vera decedens in sua vota fide
Atque aetate gravis, genito cum tertius annus
  Ultra ter quinas iret olympiadas.
Christicola vita felix obituque beatus
  Jam tenet aetherii lucida regna poli
Defunctus fato atque malis. At tu, bone pastor
  Christe, tuo rapidos a grege pelle lupos
Propitiusque huic custodes adiunge fideles!
  Auxilio, si unquam, nunc eget ille tuo.

ADOLESCENTIBUS GERMANIS FIDEI EVANGELICAE ADDICTIS.

Sic illi Lutheri aequales, qui mortem sanctissimi viri lugentes immortales animi excelsi effectus in ipsa lamentatione augurabantur. Nos trium seculorum experientia docti non doloris sed laetitiae lacrimas fundere cogimur admirantes tanti viri et fidem et constantiam et veritatis amorem, virtutes divinitus illi immissas, quibus quid valuerit quidque effecerit brevissimo nuper carmine germanico celebrare studui hocce: *)

Gott hat in stiller Zelle den Helden sich erwählt,
Durch Prüfung streng geläutert, im Glauben fest gestählt,
Dass ihn der Feind nicht schrecke mit seinem gift'gen Groll,
Dass ihn mit List nicht fange, der aller Listen voll.
Der schwache Mönch, verachtet vom stolzen Priesterschwarm,
Wie ward er kühn und kräftig, geführt durch Gottes Arm!
Vor Cardinal und Kaiser steht frei der deutsche Mann
Und lös't mit mächt'gem Spruche des alten Truges Bann.
Sein Harnisch ist der Glaube, sein Schwert des Herren Wort
Und Gottes Geist der Wahrheit sein höchster Schirm und Hort.
So feste Burg hat keiner, der ihn zu fällen meint,
So guter Wehr und Waffen erliegt der arge Feind.

*) Protestantische Klänge 10.

In deutschen Kirchen klinget seitdem ein deutscher Chor,
In deutschen Lauten dringet Gebet zum Herrn empor.
Frei ward die Schrift gegeben; im freien Priesterthum
Sucht jeder Gottes Gnade, verkündet Gottes Ruhm.

Persequemur forti pectore opus ab illo inchoatum. Conservemus liberum illud sacerdotium, quod longe distat semperque distabit et ab impetuosa licentia omne mysterium ex divino hominum regimine tollente et ab illa angusti animi anxietate summum periculum ecclesiae evangelicae metuente, dum rationis lumine sacra perlustretur doctrina. Perspexerat Lutherus, verbi divini vim atque numen nullo fulciri bonorum consilio, nulla frangi pravorum temeritate. Quamobrem sacras scripturas unicum doctrinae Christianae fundamentum fideique fontem et normam esse voluit: rationi humanae, divini sui ortus pie sancteque consciae, interpretis partes ut ageret libere concessit: nulli tamen neque singulari homini neque eruditissimorum virorum concilio tantam tribuit auctoritatem, ut, quae ab hisce statuta essent, divinis aequiparentur legibus.

Certo gradu illius vestigiis insistentes temporum vicissitudines eo feramus animo, quo par est mentem divino spiritu afflatam mortalia contemnere, aeterna sequi. In quo quanto Lutheri similiores erimus, tanto magis juvabit memores fuisse Lutheri.

Scribebam cal. Febr. MDCCCXLVI.

E. F. August.

Typis Nauckianis.